## V. *An Account of the Vertues of* Faba Stⁱ Ignatii, *mentioned laſt Tranſaction.*

INdex virtutum quas experti ſumus in fructu quodam amariſſimo Philippinarum qui dicitur de Caba longa.

Aiunt quemdam venenarium veniſſe ad Patrem Societatis Jeſu ut eum interficeret cum halitu maſticando herbas infectas, ſed contrarium accidit, nam Maleficus cecidit ſemi-mortuus; Ex illis vero qui concurrerunt dixit unus, (forte Venenarius,) Patri, habes tecum aliquod Preſervativum, & Reflectione facta, reſpondit Pater, habeo hic fabam quandam amariſſimam cujus virtutes me latent. O Pater, dixit Indus, hoc eſt contra Maleficos, & hic miſer ſine dubio jacet ſemivivus, quia volebat maleficare te; exploratoque ore illius invenerunt illic ſupradictas herbas notorie venenatas: Ex hinc cepit magnificare hic fructus, & paulatim explicat ſequentes alias Virtutes.

1. Habet Virtutes illius metalli quod Tumbaga dicimus, & compoſiti illius quod Ilingo dicitur, proficit enim contra ſpaſmos ac ventos infectos, & contra quoddam genus ſpaſmi quem nos dicimus ſotan.

2. Proficit ut evomatur quodcumque venenum, ſi raſuræ ejus bibantur cum Aqua frigida, item contra morſus venenatorum, ſi ſimul applicentur morſui aliquæ raſuræ ejus.

3. Item ſi aliquod Membrum laboret ſpaſmo proficit, ſi ſuper partem infectam applicentur ſupradictæ raſuræ.